



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Scipio Claromontius De Ratione Status**

**Chiaramonti, Scipione**

**[S.l.], 1679**

Epilogus eorum, quae dicta sunt de legum fine, & optima Rep.,  
eorundemq[ue] explanatio absolvitur. XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10064**

*Epilogus eorum, quæ dicta sunt, de legum fine  
& optima Republica, eorundemq; explanatio  
absolvitur.*

## CAP. XVII.

**A**M itaq; vidimus, quod verus finis legum, qui idem est qui optimæ Reipublicæ, commune bonum sit, hoc est, felicitas civium: quod bonus Princeps, boniq; Rerumpublicarum Rectores, non sibi pro scopo utile proprium præfigere debeant, licet illud quærere possunt non per accidens solum, sed per se quoq;. Ostensum etiam est, legum finem alium esse naturalem, alium supernaturalem, tum quoq; quomodo ille hunc pro norma & regula habeat. Jam pro supplemento factæ expositionis sciendum est, quod optima Respublica & lex contendunt ad felicitatem civium, non tantum quod virtutes jubent actionesq; bonas, prohibentq; pravas: sed speciatim quod educationem curent, & institutionem civium, quod dixit Aristoteles lib. v. Ethic. cap. 2. *causæ efficientes virtutis universæ sunt ea omnia jura legitima, quæ legibus de disciplina ad Rempublicam utili* (in græco vox παιδείας est) *comprehensa, descripta & constituta sunt,* ita ut incipiant à prima pueritia, pergantq; ad juventam usq;, fiatq; sedulo, ut continua temporum serie in hujusmodi corporis, & animi exercitationibus & puer & adolescens teneatur, quæ illum reddere possunt quibuscunq; exornatum virtutibus: quæ exercitationes per consequens, cum versentur in actionibus nobilibus & virtuosis, longè sejunctæ sunt à sorditie plebeia & vilitate lucelli, quibus se penitus dant, devotentq; opifices & mercatores. Qua de causa censebat Aristoteles, non cives esse in optima Republica opifices artificesq;: quod non sint veræ virtutis capaces, neq; etiam veræ disciplinæ. Quod si quis tamen ejusmodi infimæ fortis homines, inquit ille, cives nominare vellet, dicendum foret non omnescives veræ virtutis capaces esse, sed illos tantum, qui non tractant artes necessarias. Verba ipsa sunt: *optima autem civitas non faciet humilem artificem civem. Si autem & hic civis, profecto civis virtutem, quam tradidimus, dicendum non omnis neq; liberi solum, sed cunctorum qui solvi ab operibus necessariis.* Et magis definitè subjungit

subjungit paulo post: *quapropter in quadam Republica humilem artificem necesse est, & operarium cives esse, in quibusdam vero impossibile. Ceu, si qua est, quam vocant Aristocraticam, & in qua ex virtute dantur honores, & dignitate personarum. Non enim usu venire potest, ut qua virtutis sunt colat, qui vitam traducit in vilibus ministeriis, sordidusq; artifex est, atq; operarius.* Et ut verum fatear, quomodo institutoribus & opificibus, qui tota die propter victum occupati sunt in operibus suis, otium suppetet vacandi exercitationibus perpetuis ob virtutes, quæ theoreticas, quæ practicas? Hinc lucem fœneratur quod diximus, felicitatem civium finem esse legum, & optimæ Reipublicæ. Quod sanè intelligendum est de civibus verè talibus, hoc est, solutis operibus vilibus & necessariis, & qui vivunt ex suis redditibus, qui educari possunt secundum institutionem ab optimâ lege præfinitam, & cura publica procuratam, & comprobata, ita ut certi magistratus ejus rei curam gerentes constituantur: de quâ Plato & Aristoteles fusè disseruerunt, & ego in Therapeutica morali. Sed hic fortè quæret quispiam, quam igitur curam gerere debeat lex & Respublica optimæ opificum suorum, & fœcis populi? nonne incumbit æq; ipsis eorum utilitati studere? Certè ita sentio, attamen illi utilitati, quæ iis proportionem respondet, tam ex bonis animi, quàm instrumentalibus & foruitis, ut communiter vocantur. Ille tamen felicitatis gradus non illam attingit felicitatem, quam civibus ex lege attribuimus, sed est ejusmodi quædam particulatâs exigua: de terrena sermo nobis est, nam ad cœlestem via patet omnibus, & satis frequenter experimur verum esse dictum illud Sacrum, *revelasti ea parvulis, & abscondisti sapientibus.*

*Quomodo, & in quam Rep. iustum sit proponere sibi scopum, cives reddere bellicosos, & occupare alios Principatus.*

#### C A P. XVIII.

**D**iximus quod verus finis legum idem sit, qui optimæ est Reipubl. quare igitur non omnis Respublica optima est, nonne poterit quælibet ad tam sublimem finem aspirare? Hic se res habet ut cum  
hominibus